

difficultatibus, in maiorem illos terrorem adducit. Viso igitur illo clamauerunt turbati, tanquam in phantasmate: & statim per uocem succurrit eis, dicens: Ne terreamini. Deinde & per ingressum in nauim, maiorem illis securitatem parit. Confestim enim con- quieuit uentus. Magnum autem miraculum, ambulare super mare: & quum esset tanta tempestas, tam que contrarius uentus, miraculi incrementum erat. Apostoli autem quum non intellexissent de panibus, ex hoc miraculo in mari intellexerunt. Videtur sane Chri- stus & propter hoc permisisse illos tentari, ut quoniam à panibus eum non cognouis- sent, notitiam à mari perciperent.

Et quum traiecissent, uenerunt in terram Genezareth, & applicuerunt in portum. Quumque egressi essent de nauis, cōtinuò agnouerunt eum, ac percurrentes totā undiq; regionem illam, coeperunt in lectis eos qui male habebant circumferre, quum audissent eum illic esse: & quocumque introisset in uicos, aut in ciuitates, aut in uillas, in plateis pone- bant infirmos, & deprecabantur eum ut uel fimbriam uestimentis eius tangeret: & quor- quot tangebant eum, salui fiebant.] Aliquanto tempore, ut uidetur, peregrinatus est dominus in loco illo, eo quod Euangelista dicit: Quum agnouissent illum, attulerunt in- firmos. Non enim in domos ipsum uocabant, sed ipsi afferebant eos qui male habebant, obsecrantes ut illis uel fimbriam uestimenti tangere liceat. Nam miraculū quod in mu- liere quæ sanguinis profluuiū laborabat, ad omniū aures peruenerat, fidemque auxerat.

C A P V T V I I.



T conueniunt ad eum pharisæi, & quidā de scribis qui uenerant à Hiero- solymis: & quum uidissent quosdam ex discipulis eius communibus ma- nibus, id est illotis edere panes, incusabāt. Nam pharisæi & omnes iudæi, nisi cubitaliter lauerint manus, nō capiunt cibū, tenentes instituta maiorum: & à foro uenientes, nisi loti fuerint, non comedūt. Et alia multa sunt quæ susceperunt seruanda, nempe lotiones poculorum & urceorum, & æramentorum, & lectorum. Deinde interrogant eum pharisæi & scribæ: Quare discipuli tui non ambu- lant iuxta traditionem seniorum, sed illotis manibus edunt panem? Discipuli domini docti solam uirtutem amplexari, & in alijs nō esse superstitiosos, illotis manibus come- debant simpliciter, & absque curiositate. Pharisæi autem quæretes conuicij occasionem, illud reprehendunt: neque reprehendunt illos ut transgredientes legē, sed traditiones se- niorum. Non enim in lege scriptum: Lauandum cubitaliter, hoc est usque ad cubitum. Cubitaliter enī dicitur à cubito usque ad extremos digitos. sed hoc erat à senioribus traditū.

At ille respondens dixit eis: Bene uaticinatus est Esaias de uobis hypocritis, sicut scri- ptum est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me: in uanum au- tem me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Nam omisso præcepto dei, te- netis constitutiones hominum, ablutiones urceorum & poculorum, aliaque similia his fa- citis multa. Et dicebat illis: Bene, reiicitis præceptum dei, ut constitutionem uestram ser- uetis. Moses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam. & qui maledixerit pa- tri uel matri, morte moriatur. Vos autē dicitis: Si dixerit homo patri uel matri, corban: quod est, donū quodcumque ex me, in tuum cedit commodum. & præterea non finitis eum quicquam facere patri suo aut matri suæ: & irritum facitis uerbum dei per constitu- tionem uestram quam tradidistis. Et similia huiusmodi multa facitis.] Ut grauius ar- guat dominus iudæos, adducit & prophetā à quo taxantur. Illi enim discipulos argue- bant, quod seniorum traditiones præuaricati essent, dominus autem eis impingit crimē longe grauius, quod Mosis legem præuaricarentur. Lex enim dicit: Honora patrem & matrem. uos autem docetis pueros, ut dicant ad parentes, corban: hoc est, donum & ob- latum deo, quod quæris ex me. Pharisæi enim uolentes deuorare ea, quæ erant plebeio- rum, docebant pueros, si quid haberent, uelut peculium: & quæreret parentes, diceret: Iam consecraui hoc deo: ne ultra quærant iam oblatum domino. Igitur sic decipiebant pueros, & simul persuadebant eis, ut consecrarent deo quæ haberent: quo parentes faciebant contemnī: ipsi autem deuorabant deo sacrata. Propterea arguit eos domi-

nus, quod propter lucrum transgrediantur legem dei.

Et quum aduocasset ad se totam turbā, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite: Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum inquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ inquinant hominem. Si quis habet aures ad audiendum, audiat. Et quum intrasset in domum, semotus à turba, interrogabant eum discipuli eius de similitudine. Et ait illis: Adeò & uos intelligentia caretis? Nondum intelligitis, quod omne foris introiens in hominem, nō potest eum inquinare: quia non intrat in eius cor, sed in uentrem, & in secessum exit, repurgans omnes escas? Dicebat autem: Quod ab homine exit, illud inquinat hominem. Ab interioribus enim de corde hominum malæ cogitationes procedūt, adulteria, stupra, homicidia, furta, auaritia, fraudes, dolus, impudicitia, malus oculus, blasphemia, superbia, stultitia: omnia hæc mala ab internis procedunt, & coinquinant hominem. Dominus docens homines, quod ciborum observationes quas lex prohibet, non debeamus corporaliter intelligere: incipit hoc loco legis mentem aperire, dicens: Nihil quod ingreditur, posse communem facere, hoc est inquinare quempia, sed ea quæ egrediuntur de corde: illa enim sunt quæ inquināt. & enumerat ea. Oculum malum inquit, uel intemperantiam, uel inuidiam. Etenim inuidus oculum malum & fascinum immittit in eum cui inuidet. Et intemperans per oculū uidens, malum communicat. Blasphemiā autem dicit conuicium in deum: ut si quis dicat, Non est prouidentia: unde & superbiam adiicit. Superbia enim est quasi contēptus dei, quādo quis bonum operatur, hoc non ascribit deo, sed propriæ uirtuti. Stultitia autem conuicium est in homines. Omnes illæ affectiones coinquināt animā, scaturiuntq; ex illa, & egrediuntur. Cæterum turbæ obscurius loquutus est deus, idcirco & dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat: hoc est intelligat. Apostolis autem profundius quiddam dicere dominum existimarunt. Et accedunt & interrogant de parabola, hoc est obtenebrato & obscuro sermone. Parabola enim, sermo est tenebrosus. Et primum quidem increpauit, dicens: Siccine & uos sine intellectu estis? deinde soluit quod agebat.

Et quum inde surrexisset, abiit in confinia Tyri & Sidonis: & ingressus domum, neminē uoluit scire, nec potuit latere. Mulier enim statim ut audiuit de eo, cuius filiola habebat spiritum immundum, uenit & accidit ad pedes eius. Erat enim mulier Græca Syrophœnissa genere, & rogabat eum, ut dæmonium eijceret de filia sua. Iesus autem dixit illi: Sine prius saturari filios: non est enim honestum, sumere panem filiorum, & projicere catellis. At illa respondit, & dicit illi: Etiam domine, nam catelli quoq; comedunt sub mensa de micis filiorum. Et ait illi: Propter istum sermonem uade, exijt dæmonium à filia tua. Et quum abiisset domum suam, reperit dæmonium exisse, & filiam iacentem super lectum. Postquā de cibis loquutus est dominus, & uidit incredulos Iudæos, transijt in Gentiliū fines. Nam quum increduli essent Iudæi, salus futura erat Gentium. Et ipse primum quæsiuit latere, ut ne habeant Iudæi postea quo possent ipsum accusare, quod ad immūdas Gentes præcurreret. Nō potuit latere: nō enim eueniebat ut late-ret ac à nemine agnosceret. Vxor enim quæ audierat de eo, ostendit alacrem suam fidē. Et propterea dominus non statim exaudit, sed moratur & differt donū: ut ostendat mulieris solidam fidem, quæ quamuis ablegaretur, perseverarit: ut & nos discamus non statim resilire, quum precamur si non statim uotorum fuerimus compotes, sed perseueremus, donec accipiamus. Præterea canes nominat Gētiles, tanquā exosos Iudæis habitos. Panē autē, beneficiū quod pueris, hoc est Hebræis segregarat deus. Beneficia em̄ Hebræis impartitus est. Dicit igitur dominus: Non oportet Gentiles participes esse beneficiorū, quæ Iudæis destinata sunt. Quia prudēter respōdit mulier & fideliter, desyderij facta est compos. Iudæi enim inquit, panem habent, hoc est te totum qui è coelis descendisti, & beneficia tua: at ego micam peto, hoc est beneficium particulare. Vide autē dominum, quomodo non dixerit, uirtus mea saluauit te. sed quid dicit: Propter sermonem hunc, hoc est propter fidem tuam, uade: mundata enim est filia tua. Disce igitur & tu hoc loco utilem doctrinam. Etenim unusquisq; nostrum quando peccat, mulier est, hoc est infirma anima. Phœnissa autem tanquā rubrum & sanguinariū peccatum, ac cruentum

eruentum peccatum habens. Filiam autem habet talis mulier, malum opus, quod habet demonium. Mala enim opera, demonum sunt. Peccatores itaque quum simus, & canes nominamur immundicia pleni, & eapropter indigni sumus qui accipiamus panem dei, hoc est communicemus immaculatis mysterijs. Quod si per humilitatem nosmetipsos agnouerimus, & confessi fuerimus nos esse canes, enarrauerimusque peccata nostra: tunc sanabitur filia, hoc est opus diabolicum.

Et rursum egressus de finibus Tyri ac Sidonis, uenit ad mare Galilaeae per medios fines Decapolis: & adducunt ei surdum, impeditaque linguae, & deprecantur eum ut imponat illi manum: & quum apprehendisset eum de turba seorsim, misit digitos suos in auriculas eius, & sputo emisso tetigit linguam eius, ac suspiciens in coelum, ingemuit, & ait illi: Ephatha, quod est aperire. Et statim aperta sunt eius aures, & solutum est uinculum linguae eius, ac loquebatur recte: ac praecepit illis, ne cui dicerent. Sed quo magis ille eis praeceperat, hoc amplius praedicabant, & supra modum stupebant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui. Non moratur diu in Gentilium locis, sed statim transiit, ne (sicut dicebam) daret occasionem Iudaeis dicendi, quod praeuaretur legem, Gentilibus se miscens. Decedens igitur a finibus Tyri ac Sidonis, uadit in Galilaeam. Porro surdum & impeditae linguae illum sanat. Erat autem morbus ille a demone. Iam quod de turba seorsim apprehendit illum, factum ideo quod non erat arrogantiae sectator, qui se humiliaret usque ad nostram inopiam, & ut plurimum noluit coram multis miracula facere, nisi forte propter uidentium utilitatem. Quum uero exiisset, tetigit linguam illius: ut ostenderet omnes partes suae carnis sanctas ac diuinas esse, adeo ut & sputum solueret linguae uinculum, tametsi superfluitas sit omne sputum, sed in domino admirabilia erant ac diuina, omnia. Ut autem suspexit in coelum, ingemuit, fortassis & ut orans patrem, quo misericordia dignaretur hominem: & nos docens, quod quando facturi sumus miraculum, inde petendam miraculorum uirtutem. fortassis etiam misericordia erga humanam naturam tactus, quo pacto sic tradita esset diabolo, qui illi sic illuderet, & a quo tanta pateretur. Vnde & qui sanarat, a sanatis praedicatur, tametsi illos ipse interdiceret ac prohiberet, ne quid dicerent. Docemur item hoc loco, quod quando benefacturi sumus, non plausus uel celebritates ex beneficijs quaeramus.

CAPUT VII.



N diebus illis, quum turba admodum multa esset, nec haberet quod manducarent: accersitis ad se Iesus discipulis, ait illis: Misericordia tangor erga turbam, quia iam triduo apud me manent, nec habent quod edant: & si dimiserò eos ieiunos in domum suam, deficient in uia. Quidam enim ex eis à longinquo uenerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi uero dixerunt, septem. Et praecepit turbae discumbere super terram. Et acceptis septem panibus, quum gratias egisset, fregit, deditque discipulis suis, ut apponerent: & apposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos, & quum benedixisset, iussit apponi & hos. Comederunt autem & saturati sunt: ac sustulerunt quae superfuerant, fragmentorum septem sportas. Erant autem qui comederant ferme quater mille: & dimisit illos. Iam & ante tale quoddam miraculum fecit dominus, & nunc quoque iterum ipsum operatur, sumpta occasione iusta, nempe quod tres dies manserat turba, & absumpta erant omnium uiatia. Non semper enim miraculum in alimentis facit, ut ne putent quod propter cibos populus illum sequatur: & nunc nisi periculum ex ciborum penuria fuisset, neutquam fecisset miraculum. Vide autem & discipulos, quam insipienter se habeant, non dum credentes uirtutes illius ex prioribus signis. Ipse autem non reprehendit: docens & nos, ne morosiores & austeriores erga idociles simus: sed sunt quae & illis oportet ignore, ut insipientibus. Considera autem & hoc, quod Christus nullum uult dimittere ieiunium: omnes enim uult delicijs suorum donorum alere, & maxime eos qui triduo apud se manent, hoc est baptizatos. Illuminatio enim dicitur baptisma, quia baptismus